

## De linguae Latinae pronuntiatione

### Schola I: De fontibus

**1.** De linguae Latinae pronuntiatione duo uulgatae sunt **falsae opiniones**: 1. eam esse simplicissimam, cum omnia ut scribantur sic enuntientur (sic nuper in *Felice* libro scholastico): inde inutile esse talia docere; 2. eam esse obscurissimam, cum ex antiquis temporibus nulli nobis phonodisci seruati sint: inde inutile esse talia quaerere. Contra multi uiri docti inde ab Erasmo e liquidis fontibus multas leges pronuntiationis certas statuerunt.

1. Desiderii Erasmi Roterodami *De recta Latini Graecique sermonis pronuntiatione dialogus* (1528/²1529), ed., transt., comm. Johannes Kramer, 1978
2. E. Seelmann: *Die Aussprache des Lateinischen nach physiologisch-historischen Grundsätzen*, 1885 (1970)
3. E.H. Sturtevant: *The pronunciation of Greek and Latin*, Philadelphiae 1940 (1975)
4. W.S. Allen: *Vox Latina: a guide to the pronunciation of classical Latin*, 1965,²1978 (1989)
5. St.G. Daitz: *The pronunciation and reading of classical Latin [duo phonocasetae]*, 1984
6. Vera U.G. Scherr: *Aufführungspraxis Vokalmusik: Handbuch der lateinischen Aussprache: klassisch – italienisch - deutsch*, 1991

**2.** Inter **fontes** primum locum habere solet **tradita consuetudo**. Vt ubique in orbe terrarum uox *arma* fere eodem modo pronuntiatur. Sed haec ratio minime certa est. Nam, ut exemplum notissimum afferam, uox *Caesar* a Germanis, Francogallis, Anglis, Italis longe diuerso modo enuntiatur, cum quisque suaे scriptionis et dictionis morem sequatur. Quare nationes inter se cum Latine loquuntur uix intelligunt. Meliores testes sunt ipsae **linguae romanicae** q.d. quae tamquam filiae Latinae linguae matris faciem saepe referunt. Sic littera *T* in it. *tempo*, hisp. *tiempo*, fr. *temps* non aspiratur, ut in lat. *tempus* (contra in *time* Angli aspirant). Et mutatio litterarum saepe certas leges sequitur; ut lat. ō, si in aperta syllaba paenultima acuitur, efficit plerumque it. *uō*, hisp. *ue* (*bōnus* > it. *buōno*, hisp. *bueno*; *fōcus* > it. *fuōco*, hisp. *fuego*), lat. ō eodem loco efficit it. ō (*nōmen* > *nōme*). Interdum etiam aliae linguae e Latino fonte hauserunt, ut lat. *Caesar* > germ. *Kaiser*, unde quae uetus enuntiatio fuerit, patet.

7. Caelestis Eichenseer (ed.): *Exempla pronuntiatuum diversorum - colloquia Latina* [phonocaseta], 1983
8. W(ilhelm) Meyer-Lübke, *Romanisches etymologisches Wörterbuch*, ³1935 = ⁵1972 (9635 uoces Latinae!)
9. „Latein und romanische Sprachen“, *Der Altsprachliche Unterricht* 48, fasc. 4, m. Iul. 2005

**3.** Ipsa etiam **scriptura Latina** multa docet. Sunt enim in titulis (s. inscriptionibus) quaedam notae quibus longae uocales notantur, ut apex in *MÁXIMUS* aut I longa in *FRIGIDUS* aut duplicatio uocalis in *PAASTOR*. Similiter etiam duplices consonantes indicari possunt. Interdum etiam errores lapicidarum indices sunt pronuntiationis, ut cum *DVLCESSIMA* aut *SENE* (pro *sine*) legitur. Hic autem utilissimi sunt tituli Pompeiani uulgares. Non nihil etiam e **transcriptionibus** discitur. Vt cum Graeci pro *Caesar* scribunt *Kaisar*, pro *Valerius* scribunt *Oualerios* (unde cognoscimus naturam litterae V). Aut cum Romani gr. *Makedonia* uertunt *Macedonia*. Vocalium autem quantitas certissime dinoscitur e **poetis**, qui etiam non nihil de synaliphis et hiatibus docent. Sed etiam illi deficiunt in syllabis positione longis.

10. Alfonso Traina: *L' alfabeto e la pronunzia del latino*, (1957) ²1963
11. Veikko Väänänen: *Le latin vulgaire des inscriptions pompéiennes*, ²1959
12. Anton Marx: *Hülfbüchlein für die Aussprache der lateinischen Vokale in positionslangen Silben*, (1889) ³1901

**4.** Multo plurimi autem facienda sunt **testimonia scriptorum** antiquorum, praesertim grammaticorum, unde, ut unum exemplum afferam, certissimum est litteram c etiam ante e et i semper mutam remansisse i.e. ut k sonuisse. Etiam rhetores ut Cicero et praesertim Quintilianus nonnihil huc contribuunt. Velut hi omnes tradunt non unum genus fuisse accentus, ut nunc pronuntiare solemus, sed inter acutum (*Rómae*) et circumflexum (*Rôma*) distinguendum esse. Multa etiam ex obiter dictis deprehenduntur, ut cum Cicero (de diu. 2,84) dicit *caueas* (quod est genus pomorum) in uulgari pronuntiatione sonuisse tamquam *caue ne eas*; aut cum Plautus sic ludit (Bacch. 943): *non in arcem, uerum in arcam faciet impetum*.

13. Henricus Keil (ed.), *Grammatici Latini*, 8 uolumina, 1857-1880 (1981)

## Schola II: *De historia „phoneticae“*

5. „Phonetica“, quam nos dicimus (i.e. ars pronuntiandi) pars fuit olim **grammaticae**, quae diuisa erat in *recte loquendi scientiam et poetarum enarrationem* (Quint. inst. 1,4,2). Vox *grammaticae* refertur ad *grammata* i.e. **litteras**. De quibus primus egisse dicitur Hippias Elius; nonnulla habet Plato in *Cratylo* et *Philebo*. Is, ut uidetur, primus inter uocales consonantes semiuocales distinxit; eum secutus Aristoteles in *Poetica* (20), qui etiam in naturam uocis humanae diligentius inquirebat. Tum non nihil profecerunt Stoici, quorum quidam *De uoce* (*Perì phōnēs*) scripserunt. Inde pendere uidetur **Dionysius Thrax** (saec. II a.Chr.), qui sua *Arte grammatica* quasi pater omnis grammaticae Graecae putandus est. Ibi insunt paene omnia uerba quibus nos nunc quoque (sc. in Latinum conuersis) utimur.

14. H(ermann) Steinalth: *Geschichte der Sprachwiss. bei den Griechen und Römern*, 2 partes., 21890 (1971)
15. Alfred) Gudeman: „Grammatik“, *RE* VII 2 (1912), 1780-1811
16. Rudolf Pfeiffer: *Geschichte der klass. Philologie: von den Anfängen bis zum Ende des Hellenismus*, 21978
17. Verena Schulz: „Die Stimmbildung der Antike“, 2010 (ms., nondum editum)

6. **Grammatici Latini**, quorum princeps fuit Aelius Stilo (saec. II a.Chr.), tamen magis ad Stoicos redire uidentur. De litteris primus diligentissime disputauit **Nigidius Figulus**, aequalis Ciceronis. Velut uidit in uoce *anguis* non ueram *n* ante *g* esse pronuntiandam.. Plurimum addidit M. Terentius Varro et in libris *De sermone Latino* et in *Disciplinarum* libro I. Aetate imperatoria ineunte de orthographia egerunt M. Verrius Flaccus et imperator Claudius ipse, qui etiam nouas litteras inuenit, deinde Terentius Scaurus et Vellius Longus. Sed inter omnes qui de arte pronuntiandi scripserunt, longe eminent **Terentianus Maurus** (saec. II aut III p.Chr.) qui tribus carminibus didacticis egit *De litteris*, *De syllabis*, *De metris*. Nemo ante illum, ne e Graecis quidem, tam accurate quomodo singulae litterae enuntiarentur descriptis.

18. Hyginus Funaioli (ed.), *Grammaticae Romanae fragmenta*, 1907 (1969)
19. Jan W. Beck (ed.), *Terentianus Maurus De syllabis*, 1993 (cum comm.)
20. Chiara Cignolo (ed.), *Terentiani Mauri De litteris, de syllabis, de metris*, 2002 (cum comm.)

7. Nouus quasi ordo grammaticorum incipere uidetur ab **aetate Diocletiani**, qua scholae quasi restitutae sunt. Hi inde a Plotio Sacerdote totas nobis *Artes grammaticas* reliquerunt. Materiam autem sic diuidere solent, ut primum de „phonetica“, i.e. de uoce, litteris, syllabis, deinde de partibus orationis, tertio loco de uitiiis et uirtutibus orationis agerent. Praecipui autem auctores fuerunt Aelius **Donatus**, qui Romae saec. IV, et **Priscianus**, qui Constantinopoli saec. VI docuit. Hi omnes curabant, ut puritas sermonis etiam in pronuntiando a uulgari depravatione uindicaretur. Ac medio aevo q.d., haec studia minus colebantur, pronuntiatio ipsa in singulis populis diuersa erat.

21. Wolfram Ax: *Laut, Stimme und Sprache: Studien zu drei Grundbegriffen der antiken Sprachtheorie*, 1986
22. Robert A. Kaster: *Guardians of language: The grammarian and society in late antiquity*, 1988

8. Tempore renascentium litterarum pronuntiationi iterum studebant uiri docti. Atque **Erasmus** (1528) maxime quantopere nouae rationes pronuntiandi a uetere discrepant, demonstrauit. Quem secuti sunt Stephanus (1538), Iustus Lipsius (1586), alii. Orthographiam nouauit Petrus Ramus (1559) distinguendo inter *u* et *v*, *i* et *j*. Omni „phoneticae“ quasi nouum fundamentum subditum est, cum Antonius **Ferrein** medicus (1741) uoces humanas effici chordis uocalibus (*cordes vocales*) repperisset: maximum inuentum post Galenum. Latinae „phoneticae“ autem multum noui attulerunt grammatica „indogermanistica“ et „romanistica“, quae confluxerunt in opus nunc quoque utile Corssenii (1859). Postea inuentum est etiam „cymographium“ ad uoces graphicē excipiendas. Et fuerunt qui antiquam pronuntiationem in scholis renouare uellent. Quibus assensus est Conuentus Auennionensis 1956 habitus.

23. (Paul) W. Corssen: *Über Aussprache, Vokalismus und Betonung der lateinischen Sprache*, (1859) 21868
24. Rudolf Bouterwek / August Tegge: *Die altsprachliche Orthoepie und die Praxis*, 1878

### Schola III: *De litteris uniuersis*

**9. Alphabetum** inuentum a Phoenicibus, unde omnia alphabeta, etiam Indorum, ueterum Germanorum. Inde Graeci (additis uocalibus), inde Romani – siue per Etruscos intercedentes siue per Euboicos Cumanos (apud quos X ualuit CS, noch „Chi“). G sero inuenta est, saec. III (antea per C scripta). Cicero XXI litteras numerat (nat. deor. 2,93): ABCDEFGHIKLM NOPQRSTVX, posteri litteras XXIII (additis Y et Z). Romani semper maiusculis litteris aut „uersalibus“, ut nos dicimus, scribebant, forma minuscularum Carolina aetate inuenta est. Vnde nobis nonnulla uidentur ambigua, ut cum Ouidius de se gloriatur (ars 1,17): *EGO SVM PRAECEPTOR AMORIS* (*amoris* an *Amoris*?). Nunc alphabetum Latinum in toto orbe ualet.

25. R. Wachter (ed.): *Altlateinische Inschriften*, 1987

26. Ferdinand Sommer / Raimund Pfister: *Handbuch der lat. Laut- und Formenlehre*, vol. 1, 1977, 28-33

**10. Audiamus, quae Marius Victorinus** (saec. IV) de uoce et litteris dicit (*GL* 6,4-7): „**Vox** est aer ictus auditu percipibilis, quantum in ipso est [...]. Vocis formae sunt duae, articulata et confusa. Articulata [...] aut musica est [...] aut communis. [...] Confusa autem [...], ut est equi hinnitus, [...] plausus [...]. Omne autem explanatiuarum uocum initium et indiuidua uox est littera. [...] **Littera** est uox simplex una figura notabilis. [...] Nam accidentū unicuique litterae nomen, figura, potestas. Nomen est quo appellatur, figura qua notatur, potestas qua ualet.“

27. Italo Mariotti (ed.), *Marii Victorini Ars grammatica*, introd., testo crit. e commento, 1967, p. 66-70

28. Wilfried Stroh: „De uocis definitione quadam Stoica“, in: *Mousopolos Stephanos*, 1998, 443-452

**11. Nunc de diuisione litterarum:** „Litterarum aliae sunt uocales, aliae consonantes. **Vocales** sunt quae per se proferuntur et per se syllabam faciunt. Sunt autem quinque: AEIOV. Harum duae, I et V, transeunt in consonantium potestatem, cum aut ipsae inter se geminantur aut cum aliis uocalibus iunguntur, ut IVNO, VATES. **Consonantium** uero est species duplex: sunt enim aliae semiuocales, aliae mutae. **Semiuocales** sunt quae per se quidem proferuntur, sed per se syllabam non faciunt. Sunt autem numero septem: FLMNRSX. Ex his una duplex littera X [...]. **Mutae** sunt autem quae neque per se proferri sunt nec per se syllabam faciunt. Sunt autem numero nouem: BCDGGHKPQT. Ex his superuacuae quibusdam uidentur K et Q, quia C littera harum locum possit implere. H quoque admittimus, sed adspirationis notam, non litteram aestimamus. Y et Z propter Graeca nomina admittimus.“

**13. E uocalibus Victorinus duas nominat biformes:** E et O, quod pro binis Graecis ponuntur. E semiuocalibus quattuor **liquidas** dicit LMNR, quia inter consonantem et uocalem leniter inseruntur, ut *clamor*, *Tmolus*, *Africa*; duas **duplices**: XZ, quod in metris pro duabus ualent. F e P et H compositam esse negat, quod in metris pro una ualeat. E mutis H infirmam esse, quod in metris despiciatur; tres dicit **spiritales**: CPT, quia H subiungi potest, ut *Chiron*, *Philon*, *Thoas*, quattuor **rigidas**: BDGQ, quod adspirationem non admittunt. Desinit in catalogum alphabeti (omissa, ut uidetur, A): „B consonans muta rigida, C consonans muta spiritalis, D consonans muta rigida, E uocalis biformis, F consonans semiuocalis“ etc.

**14. Differentias litterarum iucundissime describit Terentianus Maurus** uersibus sotadeis (De litt. 85-106, *GL* 6,328): „Elementa, rudes quae pueros docent, magistri / uocalia quaedam memorant, consona quaedam; / haec reddere uocem quoniam ualent seorsa, / nullumque sine illis potis est coire uerbum: / at consona quae sunt, nisi uocalibus aptes, / pars dimidium uocis opus proferet ex se, / pars muta soni comprimet ora molientum [...] ut non labiis hiscere, non sonare lingua / ullumque meatum queat explicare nisus, / uocalia rictum nisi iuncta disserant. / [...] B cum uolo uel C tibi uel dicere D G, / E, quae sonitum commodat hisce, si negetur, / et labra prementur simul et reuincta lingua: / haec uim tacitam sponte sua nimisque mutam / coniuncta potentem sonitus facit latentis / geminumque refert auribus ex utraque sensum.“

## Schola IV: *De uocalibus I*

15. Terentianus Maurus, *De litteris* 108-134 (ed. Wilfried Stroh, 2010):

Nunc, singula quam possideant in ore sedem  
ictusque suos concipient et unde rumpant,  
ut quiuero, uersu blaterabo Sotadeo. 110

A prima sonum littera sic ab ore sumit:  
immunia rictu patulo tenere labra  
linguamque necesse est ita pendulam reduci,  
ut nisus in illam ualeat subire uocis,  
nec partibus ullis aliquos ferire dentes. 115

E quae sequitur uocula dissona est priori,  
quia deprimit altum modico tenore rictum  
<introrsus adactis leuiter satis labellis>  
et lingua remotos premit hinc et hinc molares.

I porrigit ictum genuinos prope ad ipsos  
minimumque renidet supero tenus labello. 120

O Graiugenum longior altera est figura,  
alter sonus est et nota +temporum+ minor*<i>*;  
compendia nostri meliora crediderunt,  
uocalibus ut non nisi quinque fungeremur,  
productio longis daret ut tempora bina 125  
correptio plus tempore non ualeret uno:  
hinc  $\eta\tau\alpha$  minus scribimus, hinc et  $\omega$  supremum,  
una quoniam sat *<ea>* habitum est notare forma,  
pro temporibus quae geminum ministret usum.  
igitur sonitum reddere cum uoles minori,  
retrorsus adactam modice teneto linguam, 130  
rictu neque magno sat erit patere labra;  
at longior alto tragicum sub oris antro  
molita rotundis acuit sonum labellis.

<...>

111 sonum Stroh, Beck: locum *M* editores 112 tenere *M*: *an* manere? post 117 lacunam statuit Goidanich coll. Aphonio GL VI 33,1-2; suppleui ex.gr. 119 ictum *M*: *an* illam? 122 sonus *M*: *an* modus? temporum minor *M*: temporum minori Micyllus: temporis minoris Keil dub. in app. 125 ut *an* et? 127 et *M* *an* nec? 128 sat *ea* *scripsi*: sat *M* (def. Brissaeus): satis Santen: fas Lachmann post 134 lacunam statui (*an* post 141?), ad explendam cf. Aphonion GL VI 33,8-9

## Aphonius GL 6,32 –33:

A littera rictu patulo suspensa neque impressa dentibus lingua formatur.  
E, quae sequitur, depresso modice rictu oris reductisque introrsum labiis effertur.  
I semiclusso ore impressaque sensim lingua <remotis> dentibus uocem dabit.  
O, ut E, geminum uocis sonum pro condicione temporis promit. [...] Igitur qui correptum enuntiat, nec magno hiatu labra reserabit et retrorsum actam linguam tenebit; longum autem productis labiis, rictu tereti, lingua antro oris pendula sonum tragicum dabit, cuius obseruationis et in E littera similis paene ratio.  
V litteram quotiens enuntiamus, productis et coeuntibus labris efferemus.

## Schola V: *De uocalibus II*

**16.** Notandum est neque Terentianum neque Athonium ullam notare differentiam coloris (seu qualitatis) in longa ō et breui ō. Sola conformatio oris et temporis dimensio diuersae uidentur. Alio loco Terentianus etiam apertius de Graecis uocalibus (450 sq.): ... *o et ω uidentur esse uicinæ sibi: / temporum momenta distant, non soni natuitas.* Contra nunc uiri docti plerique eam differentiam statuunt, ut ō ore magis aperto [ɔ], ō magis clauso enuntietur [o:] (i.e. ō propius accedat ad *a*, ō *propus ad u*). Volunt igitur mōx sic sonare: [mōks], uōx: [uoiks] (ut nos distinguimus in Ōrt et rōt). Afferunt has causas: 1. Lat. ō et ō in linguis Romanicis varios sonos efficiunt, ut lat. *sōl* > it. *sole*, hisp. *sol*; lat. *bōnus* > it. *buono*, hisp. *bueno*. – Nec tamen necesse est id a uario colore uocalium effici. 2. In titulis siue inscriptionibus saepe falso *V* pro *O*, *O* pro *V* scribitur, ut in *CIL IV: RIDICOLA* pro *ridicūla*, *FLVS* pro *flōs*. At exempla primi generis, quae crebra sunt, contrarium probare uidentur.

29. W.M. Lindsay: *Die lateinische Sprache, ihre Stämme, Laute und Flexionen [...]*, 1897, 14-42

30. Pierre Fouché: *Phonétique historique du français*, vol. 2: *Les voyelles*, 1969 [diligentissime]

**17.** Aliter se res habet in ē et ē. Hic Terentianus (saec. II ?) quidem nullam differentiam coloris indicat, obscurius agit Athonius. Grammatici posteri autem dilucide distinguunt, ut Seruius (saec. IV/V, *GL* 4,421): [...] *e et o aliter sonant productae, aliter correptae. nam o productum quando est, ore sub alto [sublato codd., editores!] uox sonat, ut ,Roma'; quando correptum, de labris uox exprimitur, ut ,rosa'.* [hucusque nil noui – sed ...] *item e quando producitur, uicinum est ad sonum i litterae, ut ,meta'; quando autem correptum, uicinum est ad sonum diphongi, ut ,equus'* ([ɛkuːs]) (nam diphongus ae tum monophongice enuntiabatur: ε). Idem Sergius (*GL* 4,520). Pompeius (saec. V) id etiam Terentiano adscribit (*GL* 5,102): *dicit ita Terentianus „quotiencumque e longam uolumus proferri, uicina sit ad i litteram“*. Vnde uix dubium est quin saec. IV/V quidem haec differentia coloris fuerit. Quam fortasse Romanicae linguae testantur: lat. *mēl* > it. *miele*, hisp. *miel*; lat. *uērus* > it. *vero*.

### **18. Athonius, GL 6,33:**

Et ne *Y* conexam Graecis uocalibus praetermisserim, cuius frequentem usum quaedam uerba seu nomina desiderare noscuntur, ipsam quidem Graecis uocabulis, cum inciderint, reseruabimus, loco autem huius *V* litteram aptam nostris uocibus finximus, quam nisi per *OY* [*per Y* codd.] coniunctas [-am codd.] Graeci scribere ac pronuntiare non possunt.

### **Terentianus Maurus, *De litteris* 135-145:**

<i>Y</i> quam memorant, uocibus auia est Latinis.	135
uocalibus autem quoniam iugata Graecis	
in nostra etiam uerba dabat frequenter usum,	
<...>	
subiecimus illam, cui nomen <i>V</i> dederunt,	
uocale sonantes sibi quae iugaret omnes	
et sola sonum redderet ex sua figura,	140
quam scribere Graius, nisi < <i>O</i> > iungat <i>T</i> , nequibit.	
hanc edere uocem quotiens paramus ore,	
nitamur ut <i>O</i> dicere, sic citetur ortus;	
productius autem coeuntibus labellis	
natura soni pressior artius meabit.	145

post 137 lacunam statui, coll. *GL* 6,33; 7,25 139 uocale *Micyllus*: Vocalem *M* 141 *O* iungat *Y* *scripti*: iungat *T M*: iungat *OY* *Micyllus, editores* 143 *O Lipsius, Cignolo* *V M* 145 artius *scripti*: altius *M, editores*

## Schola VI: *De uocalibus appendicula. De I et V consonantibus. De diphongis.*

**19.** Latinae genuinae uocales, quae quidem „phonemata“ sint, numerantur decem: Ā Ă Ĕ ĕ Ī ī Ō Ŏ Ŕ Ŕ (per V scriptae); distinguunt enim uocabula quae ceteris partibus non differunt. Cf. enim *lābor* – *lābor*; *ēdo* – *ēdo*; *nītor* – *nītor*; *pōpulus* – *pōpulus*; *fūgit* – *fūgit*. His uix adnumeranda est uocalis illa, de qua Quintilianus (inst. 1,4,8): *Medius est quidam V et I litterae sonus: non enim sic ,optimum' dicimus ut ,optimum': Ergo optimum uergetabat ad optumum.* Similia uerba sunt *maxi/umus*, *li/ubido*, *carni/ufex*, multa alia, in quibus ueteres V, recentes I scribebant et dicebant. Nam Velius Longus (saec. II) de his (GL 7,49): *In quibus adnotandum antiquum sermonem plenioris soni fuisse et, ut ait Cicero, rusticatum ... Nos uero postquam exilitas sermonis delectare coepit, usque I litteram castigamus illam pinguitudinem, non tamen ut plene i litteram enuntiaremus.* Etiam in *uiro* et *uirtute* in prima syllabam *i* uicino ad *u* sono pronuntiatam fuisse affirmat eamque ob causam imperatorem Claudia eius soni (qui *Y* similis fuisse debet) nouam litteram inuenisse.

**20. I et V pro consonantibus** quoque haberi posse notissimum est, quod fit, cum una earum aliam uocalem antecedat, ut in *IVNO*, *IACVLVM*, *VVLTVS*, *VAS*. Vbi *I* pronuntianda est ut [j] in *jung* aut (angl.) *young*; *V* consonans non ut Germanica [v] in *Wasser*, sed ut Anglica [w] in *water* (sed iam inde a saec. I illa *V* „fricatiua“ fieri coepit, ut pro *V* scriberetur *B*). Est tamen quaedam differentia inter *I* et *V* consonantes, quam Terentianus notat (166-172): *I cum medio nomine sic erit locata, / uocalis ut illam ex latere utroque coartet, / BAIANA uelut, PEIOR item, TROIA uel HVIVS, / ipsa, ut docui, consona fiet a sequenti, / et si breuis est quae posita est loco priore, / longam faciet non minus hanc consona sola, / ceu longa fit, olim quotiens duae sequuntur.* (Id quod in *V* non fieri rectissime dicit, ut in *fauore*, *cauere*.) Quam ob rem Quintilianus (inst. 1,4,11) aliique Ciceroni et Caesari placuisse tradunt, ut scribatur *AIO* et *MAIIA*, scilicet per duplcem *I* consonantem. Quod in titulis et manuscriptis non semel inuenitur. Non igitur putandum est *Troiam* sonuisse ut *Troe-am* [trōøam] (ut prima syllaba diphongum habeat) aut (*o* producta) ut [trōjam], sed magis ut [troj-jam].

**21. Diphongi** sunt uocales duae ita inter se coeuntes, ut unius syllabae pars sint aut per se syllabam faciant, ut in *au-fero*, *ae-ra* (contra *a-e-ra*). Frequentissimae sunt **AE** et **AV**. De quibus Terentius Scaurus (GL 7,16): *A igitur littera praeposita est V et E litteris ... Et apud antiquos I littera pro ea (sc. E) scribebatur ... ut „pictai uestis“ et „aulai medio“ pro „pictae“ et „aulae“.* *Sed magis in illis E nouissime sonat.* Quae mutatio scriptionis saeculo II a.Chr. facta uidetur etiam quadamtenus ad enuntiationem pertinuisse, nec tamen ut *AE* (ut in Germanorum scholis) monophongus [ɛ:] facta sit. Sic tamen, ut Varro testatur (ling.5,97; 7,96), et suo et iam Lucili temporibus rusticci loquebantur, qui *haedum* appellabant *hedum* [he:dum]. Vnde quidam nimis urbani *scaenam* pro *scena* (gr. *skené*) dicebant, etiam *scaeptrum* pro *sceptro*. Iam in titulis Pompeianis *AE* et *E* inter se saepe commutantur; saeculo II p.Chr. denique etiam doctiores *AE* monophongice pronuntiauisse uidentur. Item **AV** in plebeio rusticou sermone saepe *O* sonabat, ut *aurum* esset *orum*. Quorum nonnihil in eruditorum sermonem receptum est, ut *coda*, *plodo*, *lotus*, *plostrum* (nimis urbani contra pro *cotibus* dicebant *cautes!*). Ceterum *O* pro *AV* plebeium mansit. Ac notum est P. Claudium Pulchrum se mutauisse in *Clodium*. – Reliquarum diphongorum pauciora sunt exempla ut **OE** in *coepi*, *foedus* (quae ut *AE* inde a saec. I p. Ch. in *E* mutabatur); **EV** in *heu*, *heus*, *neuter* (quae caue loquaris ut in germ. *heute*); **VI** in *cui*, *huic*, qua uoce rarissime poetae pro disyllabica utuntur. Terentianus certe in *huius* diphongum non agnouisse uidetur (u. § 20).

31. Federico Biddau (ed.): *P. Terentii Scauri De orthographia* [cum trad. et comm.], 2008

32. Klaus Strunk (ed.), *Probleme der lateinischen Grammatik*, 1973 (multa de „phonologia“ Latina)

### Schola VII: *De consonantibus mutis*

**22.** In consonantibus Terentianus (ut post eum Aphonius, *GL* 6,33 sq.) non alphabeticum ordinem sequitur, sed, ut ipse ait, *ut cuique est proximitas loci soniae* (183). Incipit autem a *mutis*, quas nunc „*occlusiuas*“ aut „*plosiuas*“ dicunt, quia in eis *occlusio cum plosione* quadam soluitur, quod tamen iam ille uidit. Sic enim primum „*labiales*“ describit (186-193):

**B** littera uel **P** quasi syllabae uidentur  
iunguntque sonos de gemina sede profectos [sc. *B-E, P-E*]:  
nam muta iubet portio comprimi labella,  
uocalis at intus sonus [*locus M*] exitum ministrat.  
Compressio porro est in utraque dissonora:  
nam prima per oras etiam labella figit,  
uelut intus agatur sonus; ast altera contra  
pellit sonitum de mediis foras labellis.

Ac dicere id Terentianus non potest, quod nos didicimus: sc. **B** esse „*chordalem*“ (i.e. chordis uocalibus sonantibus effectam), **P** non ita. Tamen tale quid sentire uidetur.

**23.** Item in „*gutturalibus*“ (194-198):

Vtrumque latus dentibus adplicare linguam  
**C** pressius urget: dein hinc et hinc remittit,  
quo uocis adhaerens sonus explicetur ore.  
**G** porro retrorsum coit et sonum prioris  
obtusius ipsi prope sufficit palato.

(K autem et Q e uerarum litterarum numero excludit, quoniam a C nihil differant.) Et in „*dentalibus*“ (199-203):

At portio dentes quotiens supra linguae  
pulsauerit imos modiceque curua summos,  
tunc **D** sonitum perficit explicatque uocem.  
**T**, qua superis dentibus intima est origo,  
summa satis est ad sonitum ferire lingua.

Postea autem Priscianus (*GL* 2,20) Graecos grammaticos secutus omnes mutas diuidit in *non adspiratas* (P, C, T), *adspiratas* (PH, CH, TH), *medias* (B, G, D) quae *nec penitus carent adspiratione nec eam plenam possident*. Quam diuisionem nunc „*phoneticii*“ seruant, nisi quod *non adspiratas* appellant *tenues*.

33. Edgar H. Sturtevant, „*Tenuis and Media*“, *TAPHA* 48, 1917, 49-62

**24.** Mutis Terentianus adiungit litteram **H** (quamquam dissimilis est), 212-220:

Nulli dubium est faucibus emicat quod ipsis  
**H** littera, siue est nota quae spiret anhelum.  
Quin hanc etiam grammatici uolunt uacare,  
quia non adicit litterulis nouum sonorem,  
sed Graecula quaedam scholicae nitela uocis  
uocalibus apte sedet anteposta cunctis,  
*hastas, hederas* cum loquor, *Hister, hospes, huius;*  
sola<s> patitur quattuor ante consonantes,  
Graecis quotiens nominibus Latina forma est,  
si quando *choros, Phyllida, rhamnos, thyma* dico.

Vbi caue ne ['çori] et ['fyllis] dicas. - **H** leniter enuntiari nec pro uera consonanti haberi indicant etiam uersus, in quibus illa positionem non facit, elisioni non obstat. Tamen, quasi „*phonema*“ sit, mutat significationem, ut in *horto* et *orto*. – Veteres eam neglexerant; sed saec. I a.Chr. urbaniores qui uideri uolebant **H** ubique admiscebant (Quint. 1,5,19; Catull. 84).

### Schola VIII: *De consonantibus semiuocalibus*

**25. Semiuocales** uix prosa oratione, nedum uersu nominari posse Terentianus affirmat. Sequitur autem ordinem alphabeti: *F* (1) *L* (2) *M* (3) *N* (4) *R* (5) *S* (6) *X* (7). Cum igitur ***F*** **primam** describit, eam distinguit a Graeca *f*, cui grauius adspiretur (227-229):

Imum superis dentibus adprimens labellum,  
spiramine leni, uel ut [uelut *M*, *editores*] hirta Graia uites,  
hanc ore sonabis, modo quae locata prima est.

Minime scribendum esse *Dafnin* pro *Daphnide* alio loco monet (842 sq.). Nec Graecos posse hanc dicere *F* Quintilianus docet (inst. 1,4,14), qui ipse de *F* obscurius loquitur (12,10,19): ... *paene non humana uoce uel omnino non uoce potius inter discrimina dentium efflanda est: quae etiam cum uocalem proxima accipit, quassa quodam modo, utique quotiens aliquam consonantium frangit, ut in hoc ipso 'frangit', multo fit horridior.* Athonius Terentianum sequitur, nisi quod *reflexam ad palati fastigium linguam esse* addit (*GL* 6,34) – an iure?

**26. In ui *L secundae*** describenda Terentianus admirabilis est (230-232):

Aduersa palati supera premendo parte  
obstansque sono quem ciet ipsa lingua nitens  
ualidum penitus nescio quid + inire cogit + [tinire c. *Lachmann*; cogit inire *Brissaeus*],  
quo littera ad aures ueniat secunda nostras [...].

*Aduersa* interpretatur Athonius eam *partem palati qua primordium dentibus superis est* (*GL* 6,34), unde *L* magis Germanicae et Italicae *L* [l] „dentali“ quam Anglicae [t], quam „uelarem“ dicunt, similis fuisse putanda uidetur. Sed contra stat auctoritas Plini maioris, quem Priscianus laudat (*GL* 2,29): *L triplicem, ut Plinio uidetur, sonum habet: exilem quando geminatur secundo loco posita, ut ,ille‘, ,Metellus‘; plenum quando finit nomina uel syllabas et quando aliquam habet ante se in eadem syllaba consonantem, ut ,sol‘, ,silua‘, ,flauus‘, ,clarus‘; medium in aliis, ut ,lectum‘, ,lectus‘.* (Consentius, *GL* 5,394 *exilem sonum etiam in lecto esse uult*, cetera confirmat). Certe in fine syllabarum *L* magis Anglice sonuit.

**27. De „nasalibus“, quas dicere solemus, *M* et *N*,** Terentianus breuior est (235-237):

At tertia [sc. *M*] clauso quasi mugit intus ore.  
Quartae [sc. *N*] sonitus figitur usque sub palato,  
quo spiritus anceps coeat naris et oris [*malim: quem ... cieat*].

Aliquam diuersitatem enuntiationis *M* indicat Priscianus (*GL* 2,29): *M obscurum in extremitate dictionum sonat, ut ,templum‘ [tum uocalem antecedentem „nasalem“ fuisse multi credunt]; apertum in principio, ut ,magnus‘; mediocre in mediis, ut ,umbra‘.* Vnde notissima illa elisio (Verg. Aen. 1,3): *mult(um) ille* (et *animaduerto pro animum aduerto*). De adulterina *N* iucunde Nigidius Figulus (ap. Gell. 19,14,7): *inter litteram *N* et *G* est alia uis, ut in nomine ,anguis‘ et [...] ,increpat‘ [...]. In omnibus his non uerum *N*, sed adulterinum ponitur. Nam *N* non esse lingua indicio est; nam si ea littera esset, lingua palatum tangeret.* Quem sonum nunc scribunt [ŋ]. E titulis, ut *DINGNVS* et *CONGNATVS*, elucet eum fuisse etiam ante gn.

**28. Terentianus de *R* (238): *uibrat tremulis ictibus aridum sonorem.*** Quod *linguae fastigio* effectum esse (ut Itali, Hispani solent), non faucibus (ut Francogalli) declarant Athonius (*GL* 6,34) et alii. - ***S*** autem et ***X*** (Ter. M. 239-244) ...

uicina quidem sibila dentibus repressis  
miscere [malim: *stridere*] uidentur: tamen ictus ut priori  
<et> promptus in ore est agiturque po{e}ne dentes,  
sic leuis et unum ciet auribus susurrum;  
mixtura secundae geminum parat sonorem ...

sc. quia *C* et *S* in ea iungantur. *S* autem non „chordalem“ fuisse ex eo discimus quod *nups* deriuatur a *nubo* et quod saepe legitur *urps, opsides, apsolutus* ...

## Schola IX: *De syllabis I*

**29.** Verba in omnibus fere linguis e **syllabis** composita esse constat: quid autem syllaba sit, quomodo syllabae inter se diuidendae sint, ambigitur. Id sane certum est cuiusque syllabae quasi nucleus esse uocalem aut diphongum. Ceterum aliter noui „phonetici“, aliter ueteres orthographi, aliter metrici diuidunt. Qui de orthographia scripserunt, sequenti cuique syllabae quam plurimum litterarum tribuerunt, sic tamen ut a consonantibus eius Latinum (aut Graecum) uocabulum incipere possit: *a-strum* (cf. *stratum*), *ine-ptus* (cf. gr. *pteron*), *a-mnis* (cf. gr. *mneme*), sed *ar-bor* (quia nullum uerbum incipit a *rb*). Quae lex tamen saepissime iam a lapicidis ueteribus in titulis scribendis uiolatur. Qui naturalem quandam syllabarum diuisionem preeferre solent (ut *am-nis*), quae etiam „phoneticis“ probatur. Contra metrici de diuisione syllabarum nihil docent, tamen, quae syllaba longa, quae producta sit, praecipiunt.

34. W. Denniston: „Syllabification in Roman inscriptions“, *CPh* 1, 1906, 47-68

35. W. Sidney Allen: *Accent and rhythm: prosodic features of Latin and Greek [...]*, 1973

**31.** Certe plurimum refert **syllabus longas** producte, **breues** correpte pronuntiare. Cuius rei rationem Quintiliano teste (inst. 11,4,47) iam pueri sciunt, sc. breuem unius temporis esse, longam duorum. Quod fideliter tenendum est. Breuis autem ea syllaba est, cuius uocalem breuem non plus quam una consonans sequitur, ut hoc uerbum *sequitur* e tribus breuibus syllabis constat (*qu* semper pro una consonante habetur). Contra longa syllaba ea est, quae aut longam uocalem uel diphongum habet, ut secunda in *sequatur* – dicitur autem **natura longa** –, aut cuius breuem uocalem duea pluresue consonantes (aut *x* uel *z*) sequuntur, ut secunda in *sequuntur* – haec uocatur **positione longa**. Quae nomina a Graecis grammaticis inuenta non ad aliquam positionem litterarum pertinent, sed inde data sunt, quod illis grammaticis quaedam in lingua natura (φύσει), quaedam conuentione siue positione (θέσει) constituta uidebantur. Tamen uix dubium est, quin etiam syllabae positione longae quodammodo naturales sint. Quod uel e lege accentus eluet. Aequae enim acuitur secunda syllaba in *sequuntur* atque in *sequatur*. Nec tamen *u* in *sequuntur* producenda est.

36. R. Hiersche: „Herkunft und Sinn des Terminus ‚positione longa‘“, *Forschungen und Fortschritte* 31, 1957, 280-285

**32.** Qui autem nunc sunt metrici et „phonetici“, syllabus positione longas aliter definire uolunt ac ueteres, cum eam rem ad **syllabarum diuisionem** reuocant. Positione longam enim dicunt eam syllabam quae „occlusa“ sit, id est una aut pluribus consonantibus terminetur, ut secunda in *sequuntur*, prima in *ar-bore*. Cur igitur in *primus ab oris* (Aen. 1,1) –*mus* et *ab* breues sunt, cum consonantibus terminentur? Quia Romani, aiunt, sic uerba inter se concatenauerunt: *pri-mu-sa-bo-ri-s*, ut quasi nouae syllabae extiterint. Sed unde scimus sic Romanos locutos esse? Contra certe ualet, quod duea pluresue consonantes in initio uerbi syllabam antecedentem, si breui uocali terminatur, non producit. In *nulla spes* syllaba –*la* breuis manet: exspectes in illa concatenatione uerborum *nul-las-pes* (ut in *hos-pes*), sed manifestum est sic diuidi: *nul-la-spes*. Vnde tutius uidetur in hac re auctoritatem ueterum grammaticorum sequi.

37. D.E. Hill: „Quaestio prosodiae“, *Glotta* 52, 1974, 218-231 (contra opinionem communem)

**33.** Restat quaestio, quomodo **positione longae syllabae** enuntianda sint. Stulti sunt qui hic credunt uocales produci. Acutiores ad imitationem Finnicae, Hungaricae, Bohemicae linguae nos uocant. Sed uel Itali nos de hoc docere possunt, cum prima producta syllaba dicunt *tanto* aut *selva* aut *mamma*, ubi in consonanti semiuocali, quae primam syllabam terminat, quasi conquiescant, ut ex hac mora tota syllaba longa fiat. Quid uetat nos sic dicere *tantus*, *silua*, *summus*? Item fit apud Italos in mutis quoque ut in *bocca* aut *grappa*, ubi muta ipsa quidem non producitur – quod natura uetat –, sed pausa parua existit inter occlusionem et solutionem litterae *C* aut *P*. Hoc nos facile transferre possumus etiam in *pectus* uel *aptus* uel *abdo* (qualia Itali non habent), ut post occlusionem mutae primae *CT* uel *PT* uel *BD* quasi una exeant.

38. Detlev Fehling: rec. Zirin, *The phonological basis of Latin prosody* (1970), *Gnomon* 45, 1973, 348-351

## Schola X: *De syllabis II*

**34.** Notissimum est (etiam eis qui prosodiae Latinae parum periti sunt) illam positionis legem non ualere, quotiens **muta** (*c g ch, t d th, p b ph*) cum **liquida** (*r, rarius l*) coniuncta breuem uocalem sequitur, ut in *ténēbrae, pātris, uólūcris nábrium, ássecla, Áphrodisia*. Scilicet hic illae duae consonantes quasi pro una tam celeriter enuntiantur, ut syllaba non in duo tempora producatur, sed unum retineat. (Eamque ob causam littera *r uel l liquida* dicitur, quod *eius sonus liquecat*, ut docent grammatici.) Id autem non fit, cum in uerbis compositis muta et liquida secundum etymologiam partes esse diuersarum syllabarum uidentur; ut in *ab-ripiō, ob-linit* (contra *re-trahit*). Hic lex positionis ualere debet, ut in muta fiat illa pausa de qua diximus. (Nec necesse est monere id etiam fieri in *ab leone, sub rosa*.) Sed poetae tamen, eheu, interdum **licentia poetica** sua usi eam productionem transferunt etiam in *tenebras* et *uolucres*, ut sint *tenébrae* et *uolúcres* (Catullus etiam ludit [29,4]: *ultima Britannia*, more Graeco, non Latino). Vnde extitit iocosissimus ille uersus Ouidianus (met. 13,607): *et primo similis uólucri, mox uera uolúcris*. Vbi accentum mutari Quintilianus (1,5,28) testis est frustra reclamante Seruio (Aen. 1,384). Illae autem syllabae modo breues modo longae *communes* uocantur (non *ancipites*, ut quidam nuncupant.).

39. Lucianus Mueller, *De re metrica poetarum Latinorum praeter Plautum et Terentium*, 1861, 313 sqq.

**35.** Syllabae **natura longae** quae sint, facile e uersibus poetarum cognoscitur. Ut e primo Aeneidos uersu (*arma uirumque cano Troiae qui primus ab oris*) discimus e lege uersus secundam *a* in *arma* breuem esse, item primam *a* in *cano*, contra *o* longam; suspiceris *o* longam etiam in *Troiae*, sed hic ualet positio, ut sit [*troj-jae*] (u. supra c. 20). Tamen iuuat quasdam leges nosse prasertim de syllabis finalibus: ut plures (non omnes!) uocales ante –*s* longas esse, quo loco Bauari plerumque peccant, cum in *uocās* et *equōs* et *uirtūs* ultimam uocalem corripiunt. Accuratissima praecepta c. A.D. 1200 Alexander de Villa Dei excogitauit et uersibus inclusit, ut: *Ante b corripis a, sicut scābo siue scābellum [...] et lābor; hinc demas lābi uel fābula, flābam [...]*. Sed praestat legere poetas quam talia. Iucundiores sunt uersus memoriales, ut: *Sanus ēdit carnem: carmen doctissimus ēdit uel Haud leuis ille lābor, cuius sub pondere lābor*. Vita falsas quantitates ut in germ. *Libido, Tínnitus, Satīre, Nivēa*.

40. Fr. Crusius / H. Rubenbauer, *Römische Metrik: eine Einführung*, 1955, 8-13 (liber obsoletus, sed utilis)

41. J. Leonhardt, *Dimensio syllabarum: Studien zur lateinischen Prosodie- und Verslehre von der Spätantike bis zur frühen Renaissance*, 1989

**36.** Deficiunt poetae cum agitur de **uocalibus** in syllabis quae **positione longae** uidentur. In Aen. 1,1 utrum *ārma* an *ārma* dicendum sit e uersu non cognoscitur. Succurrunt auxilio tituli siue inscriptiones, ubi longae uocales uarie notantur (u. supra cap. 3); succurrunt etiam testimonia scriptorum ut Ciceronis, Gelli, grammaticorum; saepe ualet etymologia, saepe etiam linguae romanicae, interdum transcriptio Graeca. Leges generales praecipuae hae sunt: 1. Vocalis ante *ns* et *nf* producitur, ut *īnsula, cōnfer* (Cic. or. 159), item ante *nx* et *nct*; ante *nd* et *nt* corripitur, ut *cōndo, mēntis* (sed *mēns*). 2. Verba, quae ante terminationem in *g* desinunt, in participio uocalem producunt, ut *ago – āctus* (contra *facio – fāctus*), *lego – lēctus* (aliter *lēctus*), *frango – frāctus*. Sic etiam *lēctor, āctito, tēctum* (quod in alias „medias“ consonantes extendere conatus est Lachmann, unde „Lachmannsche Regel“). 3. In inchoativis uocalis ante *sc* producitur: *labāsco, ulcīscor*. 4. Vocalis in tempore praesenti longa seruari solet: *scrībo – scrīpsi – scrīptus* (excipitur *dīctus, dīctus*) 5. Nominatiui dimensio e genetiu cognoscitur: *audāx* (gen. *audācis*), *rēx* (*rēgis*), sed *grēx* (*grēgis*). Sed nonnulla hic incerta manent. Nota praecipue has uoces, in quibus saepe peccatur: *ārdeo, crēsco, fēstus, fōrma, iūrgium, iūstus, lārua, lūctus, lūx, Mārcus, Mārs, māximus, mīlle, nōlle, nūllus, ḍordior, ḍordo, ḍorno, ḍosculum, ḍostium, pāstor, prīnceps, prīscus, pūblicus, pūrgo, rūsticus, stēlla, trīstis, uēndo, ūllus, uōx*.

Cf. maxime Marx, *Hülfbüchlein* (u. cap. 3, nr. 12); Meyer-Lübke, *Wörterbuch* (u. cap. 2, nr. 8)

42. A. Walde / J.B. Hofmann: *Lateinisches etymologisches Wörterbuch*, 2 Bde., 1965

43. E. Pertsch: *Langenscheidts Großes Schulwörterbuch Lateinisch-Deutsch*, 1981

## Schola XI: *De syllabis III. De accentu I.*

**37.** E poetis discimus saepe duas uocales iuxta positas inter se coire, ut e duabus syllabis una existat. Quae dicitur **synizesis**. Ea semper fit cum scribitur *deest*, enuntiatur *dēst* (*dērat*), sic fere semper per duas syllabas dipthongice *deinde*, *proinde*. Ceterum ueteres comici erant liberiores, qui saepe *deorum*, *eamus* disyllabice pronuntiauerunt; classica aetate ista rariora sunt (consuetudine communi scilicet mutata), ut: *aureā composuit sponda* (Aen. 1,698). Aliud genus synizeseos est cum *i* et *u* e uocalibus consonantes fiunt, ut in georg. 1,482 *fluuiorum* (lege *fluv-jo-rum* trisyllabice), item *genua* (lege *gen-va*); contra fit **diaeresis**: *si-lu-ae* pro *sil-uae*. Quae omnia non poeticae dictionis, sed communis enuntiationis propria uidentur.

**38.** In syllabarum pronuntiatione haec **uitia** sunt maxime uulgata: 1. Negleguntur longae syllabae antecedentes accentum: *sollicitudínibus* *wwww'ww* (nec *sol* nec *tu* satis produci solent). 2. Item longae syllabae post accentum corripiuntur: *nóuīs* pro *nóuīs*. 3. Positio inter uerba non respicitur: *consul uidet q* *www* (*sul* non satis producitur). 4. In syllabis positione longis uocalis falso producitur: *ārma* pro *ārma*, praesertim in uersibus: *ille regīt dictis ...*

**39.** Transeamus ad **accentum** (Graec. *prosodía*). In linguis permultis singula uerba singulis accentibus insignes sunt, quo fit ut una syllaba ceteris quodammodo antecellat. In aliis linguis inueniuntur toni – quam ob rem eae „tonales“ dicuntur – qui non unam syllabam prae ceteris denotant, sed significationem syllabae pro tonorum uarietate mutant; sic plurimae linguae orientales et Africanae. Sed est etiam inter linguas „accentuales“ non parua differentia. Nam accentus modo grauiores, modo leuiores sunt (ut apud Francogallos); modo „monotonales“, modo „polytonales“ (ut apud Graecos); modo solum leges „phoneticas“ sequuntur, modo significationi et sensui seruiunt (ut apud Anglos et Germanos). Latinus accentus certe nil ad sensum pertinet, quoniam locum sibi capit e sola dimensione syllabarum. Notissima est lex quam Quintilianus primus statuit (1,5,30): [...] *in omni uoce acuta [sc. syllaba] intra numerum trium syllabarum continetur. [...] trium porro [...] media longa aut acuta aut flexa erit [i.e. accentum habebit], eodem loco breuis utique grauem habebit sonum [i.e. accentu carebit], ideoque positam ante se, id est ab ultima tertiam acuet [i.e. accentu instruet].* Quae lex apte „Lex de paenultima“ dicitur, quoniam a paenultimae dimensione locus accentus pendet.

**40.** Ac de hoc loco quidem omnes nunc consentiunt. Rixam mouet quod ueteres grammatici aliique scriptores omnes (ut Quintilianus ipse) distinguunt inter **accentum acutum** (ā) et **flexum** siue circumflexum (â) – grauem nunc quidem omittamus – : acutum illum syllabis breuibus et positione longis tribuunt (ut ámo, árma), hunc flexum syllabis natura longis, si aut uerba sunt monosyllaba (ut mûs, lêx) aut syllaba paenultima longa syllabam ultimam breuem antecedit (ut Rômă, dícis); alioquin paenultima longa acuitur (ut Rómae, díxi), semper acuitur antepaenultima (ut lítora, amáuerat). Quae quamquam uidentur apertissima a plerisque grammaticis Germanis et Anglis nunc pro somniis habentur. Dicunt enim has leges 1. non e Latinae linguae obseruatione sumptas esse, sed a grammatica Graeca perperam translatas, 2. pugnare cum natura accentus Latini natura, qui certe „dynamicus“, non „melodicus“ fuerit. Id autem probant e uocalium confirmationibus ut in *perficio*, quod e uetere \*pérfacio natum sit.

44. Fr. Schoell: *De accentu linguae Latinae veterum grammaticorum testimonia*, 1876

**41.** Sed quam parum ueri simile est ueteres auribus suis usos non esse! Nam 1. paucae, non plurimae leges accentus Latini cum Graecis congruunt (cum in Graeco sermone accentus multo liberius sit); 2. haec distinctio „dynamicus“ et „melodicus“ accentus a plerisque „phoneticis“ nunc improbat, qui et in „dynamico“ accentu semper aliquid „melodicus“ inesse dicunt et contra. Nec Graecam linguam inter „tonales“ habendam, sed inter „accentuales polytonales“ docent, quoniam differentia accentus in ea sensum mutare potest; quod in Latino sermone non accidit, qui ergo „monotonalis“ dicendus est. Nec tamen ineptiunt grammatici, cum inter acutos et flexos sonos distinguunt, eaque pars uenustatis Latinae poesis putanda est.

45. A. Schmitt: *Musikalischer Akzent und antike Metrik*, Münster 1953

## Schola XII: De accentu II. De continuatione uerborum, membris, synaliphe

**42.** Lex illa de paenultima quasdam patitur **exceptiones**, si grammaticis credimus: 1. Syllaba quae antecedit enclitica *-que*, *-ne*, *-ue* acuitur, etsi breuis est: *armáque*, *illéne*, *Musáue* (sed *ítaque*, *dénique!*). 2. Vlta contra uniuersam legem acuitur siue flectitur ubi *-c* (e *-ce* orta) uerbum claudit: *illíc* (ex \**illíce*), *illúc*, *illínc*, item *istíc* etc. 3. Item genuinus accentus seruatur ubi exciditur *e* in *-ne*: *tantôn* (e *tantône*). 4. Item in contractione genetiui aut uocatiui: *Vergíli* (e *Vergílii*), *Pompéi*. 5. Graeca nomina a ueteribus Latino pronuntiabantur, postea uiri docti Graecos accentus seruabant, ut diceretur etiam *Pallás*, *Allectó*. – De quibusdam grammatici ipsi inter se dubitabant, ut quidam *déinde* dicendum credebant, plurimi tamen *déinde*; nonnulli uoluerunt distinguere praepositionem *circúm*, ut in *circúm litora*, ab accusatiuo *círcum*, sed Quintilianus (1,5,25) uerba iungit: *circumlítora*, ut sit *tamquam in una uoce* [...] *u n a* acuta.

Praeter Schoellum (nr. 44) de loco accentus plurima congessit Seelmann (nr. 2) 30-64.

**43.** Latina lingua a Germanica eo ualde differt, quod magis inter se **uerba coniunguntur**, etsi accentibus distincta sunt. Quod uel e lege positionis uidemus, quae etiam in uerborum coniunctione ualet. Nam in *flumen altum* syllaba *-men* breuis est (ut *flumen* tria tempora habeat), in *flumen magnum* autem longa (ut uerbum quattuor temporum fiat). Sed haec uerborum continuatio terminatur in fine **membri** (quod Gr. *kôlon* s. *colum* dicitur), quod modo longius, modo breuius parua paua finitur. Longum membrum uidetur esse *Quo usque tandem abutere, Catilina, patientia nostra?* – nam ubi hic pausam facias? –; breuiora distinguit Augustinus in S. Paulo (doctr. 4,40; ad Rom. 13,8): *Nemini quicquam debeatis, // nisi ut inuicem diligatis*. Si membrum in minora concidas, fiat **incisum** uel **comma** (*kómma*), cuius tamen fines certissimi non sunt. Initium Clientianae sic in commata diuidere uidetur Quintilianus (9,4,68): *Animaduerti, iudices, / omnem accusatoris orationem / in duas / diuisam esse partis*. Certe in fine membra distinctio longae et breuioris syllabae tollitur, ut supra in *patientiâ nostrâ* possit *nostrâ* tam pro spondeo q q quam pro trochaeo q w ualere. Nam quod in carminibus uersus, id est in prosa oratione membrum. Atque Hieronymus testatur (praef. in Is.): *in Demosthene et Tullio solet fieri, ut per cola scribantur et commata*.

**44.** Etiam in prosa uerba ita inter se copulantur, ut si uerbum antecedens in uocalem (aut uocalem + *m*) desinat, sequens a uocali incipiatur, una syllaba fiat e duabus, ut in illo *effrenat(a) audacia*, in uersu (Aen.2,96): *promis(i) ulti(em) et uerbis odi(a) aspera moui*. Quae dicitur **synaliphe** (*synaloiphé*) aut **elisio** (*ékhlapsis*) – quam stulti poesis tantum esse credunt, cum tamen Cicero dicat de *concursione uocum*, i.e. *uocalium* (orator 152): ...*quam magna ex parte ut uitiosam fugit Demosthenes: nobis ne si cupiamus quidem distrahere uoces conceditur* (quod tam e uersibus ueterum poetarum quam ex *orationibus horridulis* Catonis comprobatur).

**45.** De natura eius pronunciationis sunt diuersae opiniones. Quintilianus *synaliphen* sic ait fieri *ut dueae [...] syllabae pro una sonent* (9,4,109), nempe ut Itali dicunt *selv(a) oscura* (a leuiter praeludente litterae *o*) sic *silu(a) obscura*; contra Sacerdos (saec.III) et alii: *synaliphe est cum de conuenientibus inter se litteris priorum fit elisio* (GL VI 453): dixit is igitur *silu'obscura*, sed ut uidetur, tantum in scansione metrica. Soubiran uir doctissimus multis testimoniis demonstrauit aetate „classica“ ueram synaliphen fuisse nec priorem uocalem totam extinctam esse, nisi in encliticis *-que*, *-ne* et particulis ut *unde*, *nempe* (*und' ill' aufugit*). Excipitur etiam *est*, in qua uoce non synaliphe fit, sed **aphaeresis**: *fama est* dicitur *fama'st*, non *fam'est*. Quod docent etiam codices Plautini. De *m* in synaliphe diligenter docet Quintilianus (9,4,40): [...] *etiam si scribitur, tamen parum exprimitur, ut ,multum ille' et ,quantum erat', adeo ut paene cuiusdam nouae litterae sonum reddat*[...] *tantum* [...] *aliqua inter duas uocales nota est, ne ipsae coeant*. Vbi uix dubium est quin Quintilianus hic de „nasalizatione“ quadam sentiat.

46. Jean Soubiran: *L' élision dans la poésie latine*, 1966

47. Hans Drexler: *Einführung in die römische Metrik*, 1967, 15-19

48. J. Leonhardt: „Die Aphärese bei ‚est‘ in der Geschichte der lateinischen Metrik“, *Glotta* 66, 1988, 244-252

### Schola XIII: *De hiatu. De periodis et interpunctione.*

**46.** Synaliphe siue elisio ubi non fit, **hiatus** (Cic. orator 77 *tamquam hiatus!*) existit, quoniam sermo quasi ore aperto hiare uidetur. Qui notus est etiam ex poetis (qui tamen multo rarius quam Graeci hiatum admittunt). Illic hiatus saepe inuenitur post langas uocales, ut in Aen. 9,477... *femineō // ululatu*, semper post interiectiones, ut Hor. carm. 1,1,2 ō // *et praesidium* ... ; rarius fit post breues uocales, ut Verg. ecl. 2,53 *addam cerea prunā, // honos* ... aut Hor. sat. 2,2,28 ... *cocco num // adest honor idem*; rarissime Graeca lege longa uocalis ante uocalem corripitur, ut ecl. 3,79 ... „*formose, ualē, ualē*“ // *inquit, „Iolla“*. Vnde suspicari licet etiam in communi sermone saepius post longas uocales synaliphen factam non esse.

**47.** Cicero quamquam in Latino sermone *uoces distrahi* posse negat (orator 152, u.supra § 44), tamen **oratori** suadet (orator 150) ne uerborum coniunctione *hiulcas uoces* [i.e. hiatum] *efficiat* (ut etiam rhet. Her. 4,18). Hinc coniectari possumus aut synaliphen non semper factam esse aut etiam quasdam synaliphias asperiores uel *hiulcas* uisas esse. Cicero idem in genere summisso dicendi oratorem *uerba coagmentare* non uult: *habet enim ille tamquam hiatus et concursus uocalium molle quiddam et quod indicet non ingratam neglegentiam de re hominis magis quam de uerbis laborantis* (orator 77). Vbi tamen minus de pronuntiatione quam de **compositione** dicit. Quintilianus quoque cum de hiatu siue *uocalium concursu* praecipit 9,4,33-37), aperte compositionem respicit; dicit enim Demosthenem et Ciceronem hiatum minus uitauisse: *nam et coeuntes litterae, quae „synaloiphai“ dicuntur, etiam leuiores faciunt orationem [...], et nonnumquam hiulca etiam decent faciuntque ampliora quaedam, ut „pulchra // oratione ...[locus corruptus]“*. Vnde appetat in concursu uocalium oratores saepe synalipha, nonnumquam hiulca quadam pronuntiatione usos esse.

49. Roman Müller: „Hiat und Hiattheorie bei Cicero“, in: J.Luque Moreno / P.R. Díaz y Díaz (ed.), *Estúdios de métrica latina*, vol. 2, 1999, 737-746 (multis locis uitiose)

**48.** Vt membrum ex incisis (u. supra § 43), sic e membris consistit **periodus** (Quint. 9,4,124 sqq.), quam Cicero etiam *ambitum* aut *comprehensionem* dicit (orator 221 sqq.). Debet habere minimum duo membra, saepe recipit quattuor, ut sit *quattuor ... quasi hexametrorum instar* (Cic. l.c.), aut etiam plura. Ea plenum sensum concludit et spiritus modo terminatur. Exemplum affert Isidorus (orig. 2,18) initium Ciceronis Miloniana: „*Etsi uereor, iudices, “ ecce unum comma [= incisum]; sequitur et aliud comma: „ne turpe sit pro fortissimo uiro dicere <incipientem timere> ... „, et factum est colon, id est membrum, quod intellectum sensui praestat; sed adhuc pendet oratio, sicque deinde ex pluribus membris fit periodos, id est extrema sententiae clausula: „ita ueterem iudiciorum morem requirunt“*. Atque hic notandum est usum nostrum dicendi discrepare ab antiquis. Nos enim eam continuationem orationis periodum dicimus, quae ex enuntiato primario („Hauptsatz“) et secundariis uel tertiaris artificiose composita et quasi implicita sit; ueteres contra numeros in membris, spiritum in periodo respexerunt, istam de enuntiatorum gradibus doctrinam ne norunt quidem.

**49.** Hoc modo oratorie, non „syntactice“, ut nos dicimus, **interpunxerunt**. Nam inde a saec. V p.Ch. seruati nobis sunt codices grammaticorum more punctis distincti. Quam rationem *distinctionum* aut *positurarum* primus Donatus (saec. IV) explicat (*GL* IV 372), interdum minus dilucide quam uelim: *Distinctio*, quae notatur *puncto ad summam litteram* posito, est, *ubi finitur plena sententia* i.e. periodus; *subdistinctio*, quae habet *punctum ad imam litteram positum*, est, *ubi non multum superest de senetentia, quod tamen necessario separatum mox inferendum sit*; denique *media distinctio* respirationis copiam denotat in media sententia (i.e. periodo). Ergo haec tria genera punctorum non accuratissime, sed aliquatenus respondere uidentur periodis, incisis, membris. Quod ipsum aperte declarat Isidorus (orig. 1,20).

50. M.B. Parkes: *Pause and effect: An introduction to the history of punctuation in the west*, 1993

## Schola XIV: *De uersibus recitandis*

**50.** Qua re **poesis et carmina** ab oratione prosa differunt? In omnibus fere linguis sunt carmina quaedam poetica, in quibus sonorum structura lege quadam **repetitionis** sive iterationis tenetur. Velut apud Francogallos certus numerus syllabarum iteratur et in singulos uersus cogitur, apud nos Anglosque syllabae acutae grauesque inter se subsequentes repetuntur additis homoeoteleutis; in linguis tonalibus toni diuersi ordine quodam recurrent. Graecorum Romanorumque proprium erat syllabarum dimensiones respicere, ut longae breuesque certa lege disposerentur, ut in his exemplis simplicissimis (Catull. 29,1): *Quis hoc potest uidere, quis potest pati w q w q w q w q w q w q* aut (Plaut. Curc. 147 sq.) *Pessul(i) heus pessuli uos saluto libens q w q q w q q w q q w q*. Fit autem haec repetitio tribus modis sive gradibus: (1) per pedes aut „metra“, (2) per uersus, (3) per strophas. Per pedes (1) et uersus (2) digeruntur notissima genera ut hexametri dactylici et trimetri iambici, per uersus (2) et strophas (3) odae Horatianae aliaque lyrice. Rarissime soli pedes carmina faciunt.

**51.** In poesi Romanorum **uersus** fere idem ualent ac membra sive cola in prosa; post eos igitur paulum subsistit oratio. Quod intellegitur primum ex eo quod in fine uersus **elementum anceps** est, i.e. tam longa quam breuis syllaba ponit potest, deinde quod hiatus permittitur, synaliphe uetatur. Quae omnia indicant hoc loco uerborum illam continuationem interrumpi. Hoc non item fit in caesuris, quamquam id multi opinantur. Neque enim caesura instituta est ut aut uox recreetur aut spiritus resumatur (quod ridiculum esset: post paucas syllabas respirare!), sed nil aliud est nisi certus locus in uersus structura, ubi saepissime uerbum terminatur, saepe etiam sensus concluditur. Si pausam caesura indicaret, exspectes ibi elementum anceps et cetera, quae sunt in fine uersus. Hoc modo igitur legendi sunt uersus, ut in fine unius cuiusque paruum interuallum fiat, sic tamen ut etiam membra illa et incisa quodam modo distinguantur (cf. Quint. 11,3,6 sq.): *Arma uirumque cano [hic incisum finitur] Troiae qui primus ab oris // Italianum [incisum] fato profugus [incisum] Lauinaque uenit // litora [membrum finitur]* ... Cauendum est autem ne post membra plena pausam faciamus, quo uersus periret; sed modulatione uocis ea facile exprimuntur. Ea est enim inde ab Homero propria uenustas carminum ut cola et uersus non congruant semper, sed interdum discrepant.

**52.** Maxime autem, si recte pronuntiare uolumus, efficere debemus ut accentus naturales seruemus. Nam hoc loco in scholis nunc maxime peccatur, ubi „accentus metricus“ quidam sive „ictus“ uersibus imponi solet, ut facilius pro uersibus agnoscantur. Sic enim loquuntur in hexametris (Lucr. 1,1): *Aéneadúm genetríx hominíum diuúmque uolúptas*, ubi quattuor locis accentus uim patitur, qui fuit *Aenéadum génetrix hóminum* ..., aut in illis iambis *Quis hócpotést uidére, quís potést patí* aut in phalaeceis (Catull. 2,1): *Pásser déliciaé meáe puéllae*. Hoc falsum esse multis argumentis comprobatur: 1. e similitudine aliarum linguarum, quarum in carminibus nusquam accentus mutantur; 2. e testimoniis grammaticorum Latinorum, qui nihil de accentibus mutandis in uersibus praecipiunt; 3. e numeris in eloquentia prosa adhibitis, ubi certe non fuit „ictus“; 4. ex historia institutionis scholasticae: Et medio aevo et aetate recentiore usque ad finem decimi sexti saeculi uersus secundum accentus naturales legebantur; saeculo decimo septimo demum „ictus“ irrepsit diuulgarique coepit.

51. Wilfried Stroh: „Arsis und Thesis – oder: Wie hat man lateinische Verse gesprochen?“ (primum 1990), in: W.St., *Apocrypha*, 2000, 193-216

**53.** Hanc consuetudinem si tollere uolumus, carmina cantui uero accommodare debemus sic, ut primum omnes syllabae eodem tono proferamus, deinde acutis – nam flexas ab illis hic non distinguimus – acutiores sonos tribuamus, tum denique ad recitationem sine cantu transeamus.

52. Wilfried Stroh: „Kann man es lernen, lateinische Verse zu sprechen?“ (primum 1981), in: W.St., *Apocrypha*, 2000, 245-261